

† † † † † †

in medio et dixit eis

in euo an.

Sup hā



† † †
Post dies

† † † † † †
dominus dixit eis

† † † † † †
ad vs an

~~Evovae~~ mag an.

† † † † † †
fuit ihesus in con

† † † † † †
† † † † † †

9
BASILII PLINII, RI-
GENSIS, LIVONI,

Poëma

DE

VOLVPTA-
TE, ET DO-
LORE.



VITEBERGAE,

Typis Simonis Gronenbergii,

ANNO M. DC.

NOBILITATE GE-
NERIS SPLENDIDISSI-
MIS, VIRTUTVM LAVDIBVS
ornatis: doctrinarum studiis ex-
cultissimis Viris:

DN. IOHANNI,
DN. MAGNO,
DN. GOTHARDO, &
DN. ERNESTO à Nolden:

Fratribus Germanis, Equitibus Livonis.

Fautoribus suis honorandis

S. D.

Gentis gloria nobilis,
Livonumq; adeò illustre Quiritium.
Sidus, quadrifidâ face
Fratrum quod parili, vincere Menalis
Plaustri lumina sufficit;
Quadrigæ in nitidas tolle tue, hæc rotas,
Cujusq; indiga lumine,
Obscure irradia, carmina, Hyantidos.
Si non displiceant tibi,
An quicquam dubitem, quin placitura sint.
Doctis omnibus, & Bonis?
An quicquam metuam à morsibus invidis?

Basilii Plinius, Rigensis, Livonus.

DE VOLVPTATE
ET DOLORE.

Ergo iterum desueta diu. posseſſaq; curis
Pectora longè aliis post intervalla revisens
Tanta cies, mitis Phœbei flamma coloris;
Pierios juvet in numeros ut lenta movere
Spisso plectra situ? Quin ejuranda fuisset
Omnis in hos, totaq; à mente fuganda voluntas;
Ut nullum his vulgò pretium est, ut gratia nulla,
Hoc equidem, captis quo regnat in auribus, evo
Pomposus declamator, plenumq; meretur
Plausum, & opes: jacet exsucca, & pãnosa Poësis;
Quin etiam omnis ad hos curarũ excussa facultas
Fluctibus occiderit, facibusq; ambusta dolorum,
Aruerit penitis fibris, ut tempora nobis
Ad moderata etiam fluxerunt vota sinistra.
Tempore sed nullo mihi non adamanda Poësis,
Ordinis, ô pulcriq; illustris imago Poësis
Denuo adesto, tuis internis te æstimo magnam,
Divinamq; bonis: sed te que mascula, non que
In nugas fluida est; mihi tu recolenda per horas
Sacratas tibi leta veni, caulesq; severos
Solennis studii formosis floribus orna,
Et qui radicem haud putridam testentur odore
Ingenuo, paucisq; bonis, doctisq; probando.
At tu æternæ Deus, rerum suprema potestas,
Cujus largifluæ Bonitatis munus in orbe.

Omnia vis, omniaq; scientia, casta Poësis
Authorem quoque compositâ quem fronte faterur,
Cujus & ingenii tenues clementia vires
Propensas servavit ad hanc, tenebrosa tot inter
Nubila curarum, adverseq; tonitrua sortis:
Da mihi, in hoc etiam conatu ut prompta vigoris
Aetherei auxilia experiar, scintillula saltem,
Lucis inaccessæ radius excussa pigrantem,
Fomitum in ingenii, satis est, quæ lumina mentis
Corporis exsinuet tenebris, sistatq; Profundi
Immensi, æterniq; tui ad sacra limina, ut illic
Contuitu liquido, non attrectanda prophanis
Mystica delibet Natura arcana latentis,
Rerum summa duplex, concors discordia, discors
Conjugium in mundo vera, & vitiosa VOLUPTAS,
Et verus, falsusq; DOLOR discrimine certo
Dicetur. Tu magne Deus da vera videre
In tantis rebus, da visa videnda politis,
Et dignis verborum aliis præbere figuris:
Te sisus solo tantarum immergere rerum,
Audeo me Pelago, concede emergere letum,
Ancipites veterum, Rationes cæca, sopherum
In labyrinthis distorquet, opinio, gyris
Errorum, vera dum religionis inanes,
Ignariq; Dei veri disquirere certant;
Vnde sit in rebus discordia tanta suborta,
Cur adversa bonos agitet fortuna, scelestis
At faveat letis rebus florentibus æqua:
Vnde tot ærumna, tot clades, pura voluptas
Nulla ferè, quam non cureq; dolorq; sequantur.

Deniq;

Deniq³ cum rigidis Mortem lictoribus atram
Tam concinno operi quæ caussa induxerit orbi.
Hinc magis, atq³ magis quò mens intenta calefcit,
Longius excurritq³, hoc tanto obnubilat ipsis
Spiffius, & dubia vertigine concidit acta.
Ah miseros! longè, lateq³, per invia cœli
Ardua, per tractus terrarum, atq³ ima profundi
Quam volitantes vestigant pernibus alis
Ingenii, latitat nimium propè pectore in ipso
Caussa mali cuncti, cuncta discordia in orbe.
Nobis, sacri illam detexit pagina verbi,
In regni partem, Genitor, quos sanguine Nati
Transcripsit: Nobis directâ mente renatis
Concessum est veris notam deflere querelis,
Illius & letis animis haurire medelam.

O primeve, Parens humana gentis, Adame,
Quæ vetiti morsu Pomii purissima frangis
Gaudia? quæ tormenta reponis acerba dolorum?
Tu mentis speculum aternæ, tu particula aura
Aethereæ, mundi compendium, & intima summa,
Libra voluntatis, si libera pondere vinci
Hujus, & insidiis Satanae, blandisq³ marito
Illecebris animum captum non passa fuisset;
Illius ast aquis semet librasset in altum
Motibus, aethereo validè confisa vigori;
Quàm jucunda animum, mentem, sensusq³ voluptas
Intemeratis deliciis sine fine beasset!
Quàm conspiranti blandiq³ unita foveret
Consona complexu mundi, Concordia, membra.
At nunc seditio quantis interstrepit iris?

Hem quàm terrificos ciet omni parte tumultus!
Turbida vis, rixæq; calent, certamina surgunt
Vndiq; conferto ruit agmine turba dolorum,
Per mortale genus, furiosa licentia Mortis
Semper ubiq; instat; morbi, tristisq; senectus,
Milliaq; adversis urgent discrimina nimbis.
Quin intestino assiduo afflictissima bello
Configit Ratio cum corpore: speq; Metuq;
Fluctuat, alterni jactata in turbinis aestu;
Et dubiis se consiliis modo amat, modo damnat,
Assurgit, recidit, fugit, inq; sui redit amens
Invita, atq; volens fastidia. Non freta tantis
Euripis ventisq; simul distracta, & adacta
In se, à seq; abeunt, refluuntq; caduntq; resurguntq;
Innumerog; in se nodantur vortice torta.
Ergo hujus tanti peccatum est unica causa
Dissidii, curæ, angoris, cunctiq; Doloris,
Peccatum, quod nos summi ab Geniteris Amore
Abscidit, & Naturæ incidit mutuum Amorem,
Convulsisq; tonis concentum infregit amicum.
Ast illi rursus fidei sociante catenâ
Nati nos meritum connexuit, hic neq; prorsus
Interiit, sed distracti intervalla tenoris
Per flexus relegens varios, ita colligit, ordo
Ut variis etiam in vicibus, pugnisq; supersit.
Quippe hanc discordem molem Clementia Iovæ
Nondum destituit; sed legibus omnia justis
Temperat, & metis certis bona, quàm mala claudit.
Quin mala sepe bonis famulari cogit ad usus.
Tum quoq; divini discordia Flaminis aura
Conciliat,

Conciliat, fovet, & miris moderatur habenis:
Vt medio armorum in strepitu pax floreat alma.
Hinc alterna voluptati, tristici³ dolori
In mundi cedit victoria partibus, at pax
Totius haud minus hinc constans interna perennat.
Sic hominis quoque corporeis in partibus aequas
Obtinuere vices Dolor, & genuina voluptas;
Nec quicquam interea mentis decedit honori,
Sive voluptati: quin imò augmenta vigoris,
Latitieg³ sua interna majora capessit,
Corporis impetitur quoties tristante dolore,
Si se materiae imperiis non mancipet agris,
Imperet ast illis à dia pendula luce.

O miranda Dei, & nulla expendenda bilance,
Consilia ingenti humani! ô sapientie abyssus
Immensa, impenetrabilis! En quàm foedere miro
Hunc etiamnum Iustitia & Clementia mundum
Conservent, amplectantur, junctimq³ gubernent
Temperie alternante: sub his inclusus in illo
Certat Homo, velut in dubiam detrusus arenam,
Indubie fidei, certiq³ daturus amoris
Authoris specimen: Telum est Rationis acumen,
Atq³ relicta, Boni, atq³ Mali discrimina quaevis
Cognoscat, variis inter se intorta cylindris,
Cincinnis, technisq³ à se exsinuata sagaci
Iudicio discernat, & amplectatur amicè,
Quae bona visa illi fuerint, propensa voluntas;
Quae mala, seu quae sint fugienda, aversa repellat.
Increpat hinc curas, sudorem, & dira minata
Iustitia tristans sententia, porrigit illinc

Spemq₃, animumq₃ sereno affulgens Gratia vultu.
Hinc illam justo concussa Elementa sequuntur
Authoris maledicto, & certatim irruere ardent,
Ira, odioq₃ citata, ferisq₃ armata venenis:
Ast illinc letis passim assultare choreis
Compositos pulchrè ad numeros Miserantis in ira
Argumenta Dei gaudent, mentemq₃, pigrosq₃
Irradiant sensus divinâ largiùs aura;
Substet Adamigena in tanto ut certamine victor,
Et summa referat Bonitatis munera vera
Larga voluptatis. Nam rerum est vera voluptas
Per varias series consensus in ordine ad unum,
Quo Mens, atq₃ Animus, Sensusq₃, aut quilibet horû,
Aut conjunctim omnes recta ratione, modoq₃
Antè, & retrò percepto oblectantur amice.
Quippe salus, letus status, & perfectio rerum,
Vis, virtus, motusq₃ omnis fundatur in uno:
Vnum cum meat a centro in circumflua sphaera
Extima continuo spatia ordine, ab hisq₃ sine ullo
Obstaculo, atq₃ errore, sed ordine ritè relicto
Ad centrum remeat, rebus sua gloria constat,
Et vigor illesus floret: Verùm ordinis omnis
Natura in Numero, & Mensurâ, & Pondere tota
Inq₃ gradus, seriesq₃ suas, sociasq₃ catenas, (est,
Et solidam summam, longè, late, atque profundè
Dividitur: Rerum hinc consensus, imagoq₃, utring₃
In superis, atq₃ inferioribus extat, & equâ
Conditione suâ responsus cedit utring₃.
Et sic trina unâ virtute per ordinis orbes
Innumeros variè replicatur Machina mundi;

Trino-uno

Trino-uno res quæq; valet, substâtq; vigore.
Sic invisibilis collucet imago per omne
Visibile orbis opus Iovæ omnipotentis & equi:
Quæ si Triga suis complexibus uniter apta,
Æquivalentibus in rerum virtutibus hæret,
Ut neq; præmineat, neq; pars intercidat ulla,
Paxq; salusq; viget, floret genuina voluptas.
Non ego vos sensus statuas de Porticu inanes
Ludibriis provolvam, non demoliar acri
Contusas ratione, adamas, ferrum, æquar, & ignis
Quas non permoveat; stæte; immaniq; rigore
In victos scopulos, Arctæas vincere rupes,
Molliaq; in medio, contendite, saxa, probare,
Telluris gremio, vestro, magis, esse stupore.
At tu nobilium rerum regina voluptas,
Salve, Natura modus & norma inclyta salve,
Lex medii, summæ Bonitatis dia propago
Authoris rerum. Te qui negat, ille protervis
Iudiciis Nature naturam exiit excors;
Imò animâ & nucleo spoliatum eviscerat orbem.
Tu condimentum, tu victrix læta dolorum
Vitæ huius, vitæ æternæ tu nobilis umbra.

Sed jam per species quæ sunt asserta probemus:
Sint autem sensus primii; Et qui hos infusus inter
TACTUS, terrestris languoris proximus hæres,
Afflictusq; cliens, torvi, crudiq; doloris:
Huius grata quies, atq; exoptata voluptas
Nónne est, cum cutis & nervi, & sua proxima rectè
Organa habent, cum continuo substantia nexu
Illorum in totâ formâ una est, unaq; floret

Temperies connata, suus cum liber ubiq,
A se, in seq₃ meatus in ordinis orbe voluto
Spiritus vite patet; etherea amulus acer
Qui lucis, radios longè, lateq₃ coruscas
Projicit, alterius vicibusq₃ retorquet aperta
Per spatia, atq₃ poros regione in corporis omni?
Tunc tactus placidè afficitur, tunc mutuus inter
Particulas cunctas visus concinnat amores.
Non sibi quæq₃ magis, quam alii cupit, omnis in unū
Conspirat commune bonum, gaudetq₃ salute,
Quod toti sit tuta salus, sit publica quod pax.
Ergo hujus pacis seu res quæcunq₃ tuetur
Temperie incolumem; seu quæ huic respondet amico
Consensu, seu quæ illam exuscitat, erigit, effert
Collapsam, à medio & vergentem dirigit, illa est
Grata voluptatis merito celebranda Patrona.
En verni Solis tepor ille nepotulus insons
Quam jucundo viventum poppismate palpat
Membra? calor quantis eadem permulcet amicis
Deliciis fuerint afflicta ubi frigoris ictu;
Quam gratis etiam solatia leta susurris
Ingerit his ipsis aure Borealis amicus
Adventus, quando fermento agitantur in estus?
Nec minùs arrident, ubi siccum detinet artus
Humoris linctus, & aquarum blanda tepentum
Oscula: luxuriam sic cum detondet ineptam,
Immodici humoris, sicci constantia grata est;
Sic glabri, & mollis serva assentatio tactum,
Oblectamentis sibimet devincit amatis.
Tum quoq₃ duricies, atq₃ asperitas favet equè,

Exoptata

Exoptata ubi cuiq³ sua est occasio praesto.
Deniq³ censendum est, quaedam oblectatio tactus
Corporis ex vario motu quod pullulet intus :
Sive etenim in campis placide spaciemur apertis,
Sive agiles modicis libremus saltibus artus,
Sive rotis, seu tergo equi per plana uehamur,
Sive cavis placidos findamus lintribus amnes,
Interius tactum titillat amena voluptas.
Quippe huius sensus praeses illustris ab illis
Omnibus haud unâ afficitur ratione, viaq³
Spiritus, ex cunctis sed fractam percipit unam;
Scilicet ut liber, promptusq³ per omnia membra
Transitus, expansis equaliter undiq³ flammis,
Et reditus pateat, quos quae expediisse, iuuare,
Et seruare valent, eadem oblectare putanda.
Hoc etiam praestat palpatio, frictio, nec non
Per venas risus quae titillatio facta est;
Purus ubi degens stimulis spiritus auris
Exultat, sua succutiens tentoria letis
Plausibus, assultant gratantia flumina fusi
Sanguinis, expansis mansucto equaliter alveis
Siderii risus Zephyro, qui obscura serenat,
Pellit acerba, meat falso, dulciq³ vigore
Per venas, per cor, subductas perq³ medullas,
Omniaq³ ethereis monet assiluisse choreis,
Quae circum Praesultoris Diaphragmatis orbem
Ductantur, leuib³ supraq³ infraq³ feruntur
Ad numerum gyris. Namq³ est in corpore nostro
Equator Diaphragma, suo quod limite paruum,
Dispersit mundum, centriq³ sui axibus astra
Sustinet.

Sustinet, & celeri circum sinit ire rotatu.

Sensuum at inferiore secundus ab ordine GASTUS

*Plura voluptatum genera, & majora saporum
Per species penè innumeras embammata sentit.*

*Inter quos tres sunt, quèis deliciosa voluptas
Concipitur, paritur, lascivit, floret amènè:*

*Nimirum Dulcis, Salsusq₃, Acidusq₃, salutis
Sponsors certi; Dulcis gratissimus hospes*

*Nutritiva animæ, fautorq₃, decusq₃, piusq₃
Naturæ melioris amor, mediq₃, tenoris*

*Temperie placidâ studiosior affecla, quo se
Viventium cuncto generi crescentia cuncta*

*Commendant, veniuntq₃ palato alimenta petita.
At salsus labis, diræq₃, putredinis hostis,*

Conciliator cunctorum, tutorq₃, saporum.

Quo sine sunt præcone ingrata alimenta saliva,

Et citò degenerant putrido in fastidia nisu.

*Quamvis de medio paulum declinat; ad illud
Monstrat iter tamè, & retrahit, quæ longius errant.*

Sic acidus quoq₃ non mediis observantior audit,

Ut qui torporis gelidi plus continet eger:

Sobria certò illi sua sed tamen ira severis

Suppliciiis constat; quèis lenta procacia fecis

Terrestriis, seviq₃, furor diffunditur ignis,

Spargitur humorisq₃ ingrati ignavia in auras.

Et sic ad mediis metam quæcunq₃ supersunt

Promovet, in potu, atq₃ cibo, gustumq₃ protervis

Stertentem opprobriis, & morsu vellicat acris,

Inq₃, famis succus membrorum exuscitat ora.

His variis gradibus mixtis variisq₃ jugatis

Fæderi-

Fœderibus, numerum quorum comprehendere non est,
Communis seu luce foci, sive arte culinae
Afficiunt placidè gustum, vario ordine dum se
Per series conspiranti conjungere nutu
Gaudent Spiritui, & sceptro parere sub uno.
Quin & amarus, acerbus, & ingratus sapor ex se,
Et per se qui alius solus, commixtus ab arte,
Naturave aliis gratum prestare saporem
Dissimulato connivens discrimine discit.
Vsq; adeo summi Patris indulgentia latè
Humani in generis placidos diffunditur usus.
Quot mare, quot tellus, quot lucidus educat aër
Viventium species, vitaq; carentia profert
Corpora; tot genera existunt variata saporum
Innumeris numeris, nulla effervere libido
Tàm morosa gula ut possit, cui plena petito
Undiq; non vario occurrant bellaria succo,
Quam non vel renovet, perpessa vel occupet antè
Pondera fastidi nova delectatio praesens. (ethram
Nec minus O L F A C T U M beat aura, volatilis,
Indole cognatâ que libera visit, odorum
Alta petens, cerebri ambitiosa aspirat ad aulam.
Et neq; multiplici medius qui janitor hujus
Strictius, aut levius sensus ditatur ab illo
Dote voluptatum, & varia mercede jocorum.
Sed quò nobilior, quòve est sincerior atræ
Fecis habens minus, hoc tantò meliore, magisq;
Ætherei fruitur lautâ fuligine ructus:
Quem occultis reddunt fibris satiata favillis
Cœlestis lucis, praestantia corpora rerum,
Invitantq;

Invitantq; ad se viventia sacra, fruendum.

Vol vere inexhausto vegetos torrente per oras

Aëris ingeniosa potentia sufficit aure

Interna fluctus, quorum pellacia nares,

Miraq; vinificis pervincit suada favissis:

Astrigeno illorum cerebri ordine viva potestas

Lambitur, & saliente aspergine tacta vigoris

Gaudet, & ambrosii libamina dia vaporis

Propenso, assiduoq; inhiante calore ligurit.

Hac igitur dum sese in imagine noscit odorum

Spiritus, & nictu pacati luminis equo

Illis subscribit, consurgit nata voluptas

Tertia, pro variâ specie variantis odoris.

Simplicis, aut mixti, nati, effictive per artem.

At verò AUDITUS quantis opulenta voluptas

Deliciis? quâ nobilitate verenda sonorum,

Progenies melicis numeris, quæ Musica floret?

Terrenas inter quâ vix præstantior ulla

Res viget. Hac sola est, quæ proxima visa mereri;

Angelicas cujus mentes concentibus æquent,

Et conferre queant, divini oracula verbi.

Mentibus ingenuis ~~dulcem hæc cyceona propinat,~~

Tormentum Stygii Tortoris, qui ordinis osor,

Destructorq; ferox, cujus mitissima imago

Hæc superest. Sicut nitidi cœli aurea templa

Compositâ, chorus astrorum, vertigine lustrat,

Insinuat gyris gyros, liquido orbibus orbes

Implicat obsequio, & variis complexibus unit

Ordinis ætherei harmoniam, ne claudicet ullâ

Parte, nec enormi perumpat turbine metam

Musica

*Musica non aliâ facie agnoscenda tonorum
Concentus varios per amoena melismata torquens;
Ludicra dum lepida pugna simulacra figurant
Hinc Gravis ima petens, illinc sublimis Acutus,
Et simulare fugas, & dissimulare parati
Agmine partito persultant aëris oras,
Discurruntq₃, instantq₃, sibi, indulgentq₃, vicissim,
Perq₃ gradus subeunt cursus, aliosq₃, recursus
Diversis relegunt spatiis, parili tamen equis
Ordine compositos, quo instructus fluxilis aër
Aurium init latis subsultans templa cachinnis,
Spirituq₃, inibi consortis grata tenoris
Nuntia, & atherci documenta impertit honoris,
Sive etenim humanâ cieantur voce sonores,
Quæ illorum variâ princeps virtute magistra (est;
Quotquot ubiq₃, viget, quoties prompta organa nacta
Sive ex brutorum prorumpant fauce voluti,
Inter quæ volucrum præcellit turba canoris
Ingeniosa modis geniale effingere carmen,
Et variis hilarare vagas concentibus auras:
Sive etiam organicis fabrefactis arte sagaci
Instrumentis effingantur, ut amula certent
Nativis vario vocum discrimina cætu;
Vocæ, tubis, tubulis, sistris, chordisq₃, canoris;
Aëris illi omnes impulsu oriuntur, & ictu,
Dum solidis hic corporibus connatus inheret
Verna, cavis habitare aut mobilis eligit hospes,
Et variâ organicæ pro conditione tabernæ
Artificis mandante manu, cogentëve plectro,
Spiritibusve internis, externisve potenter*

Propellent-

Propellentibus accipitur, varieg³ volutus
Angitur, aut laxatur, contorquetur, & acri
Vexatur stimulo, aut levibus palpatur anhelans
Ludibriis, lascivo aut titillatur amice
Attactu, in liquidas se effundit garrulus oras
Aëris externi, & repetito accepta relatu
Munera, & opprobria effutit, longeq³ per omnes
Diffamat tractus: Divergia concava nactus
Ruminat illa eadem secum, atq³ exaggerat iris,
Laudibus aut celebrat gratis. Si rite per orbes,
Perq³ gradus meat integros, justoq³ gregatos
Ordine concinnus, ceu natura equa requirit
Temperies, atq³ admirandi industria motus;
Pertentat lepidus concentus molliter aures,
Atq³ voluptatis mansuetos concitat aestus.

Præterea Visum qua epulis delenit amœnis
Alta strues, & subtili exquisita nitore
Ridet ubiq³ voluptatum; quarum extat ocellus
Lux summe veneranda Dei Bonitatis imago,
Proma boni cuncti, Dux ordinis, Oeconomus orbis,
Præsidis & Domini studiosa vicaria summi,
Cor mundi, rerum Numerus, Mensura, Potestas,
Letitiæ mater, vegeta regina salutis;
Quâ nil pulchrius, & melius, nil gratius usquam,
Vtiliusq³ nihil, nihil aut præstantius extat.
Hinc ejus substant prælustri stirpe Nepotes,
Luminis augurio educti sciscente colores,
Concordiq³ suo per connubialia juncti
Fœdera dissensu, tacito quem tessera firmat
Consona responsæ, miras consingere gaudent

Blandi-

Blanditias oculis, & corpora comere rerum.
Quorum ex symmetriâ, & positu, motu atq; colorum;
Synthesi, & assensu, tricisq; jocisq; dolisq;
Profilit in mundo Pulcrum, & visiva voluptas.
Ecce etenim astriferi laquearia fulgida coeli,
Ut vultu alludunt oculis conspecta sereno!
Cœruleiq; aciem placidè in secreta profundi
Seducunt, atque in spatia infinita recondunt!
Ut lucis, noctisq; vices grato ordine mutant!
Nocte oculos somno acclives hominum aethere mūtō
Syderei retrahunt oculi radiantibus usque
Blanditi ciliis, facieq; favente perennis
Agminis. Hic peregrinantes solenne Dynaste
Per quod iter soleant se invisere, quosq; recursus
Ad proprias arces habeant, solerte notare
Contuitu juvat; ut Phœbe sua menstrua damnâ
Fraterni reparet stipe luminis, inq; vicissim.
Illa eadem jacturis provolvatur iisdem.
At Lucis Quæstor Sol, Edilisq; diei
Eois præbet quæ munera læta theatris!
Hesperis comi quos lusus schemate scenis
Gemmato lucis variæ, auratoq; paratu;
Et picturatis velis fulgoris amœni;
Quos medii campos subvectus in aëris edit
Circenses radiorum alternis ictibus actos
Conflictus, vaga per freta congeminantia lucem;
Per rupes, montesq; altos, silvasq; coruscas!
Iam nitidas variarum nubium in aëre pompas
Aspice pendentes concurrere, condere solem;

Nonnunquamq³ suas per valles reddere inanes.
Nōne tibi lata precordia tacta moventur
Horrors, atq³ voluptatis dulcedine mirâ?
Quid? cœli flos Iunonis formosa ministra
Limpida dum roris pralibat pocula terræ,
Et se inspectori Phœbo pralustria blandis
Staminibus variata micantūm aulea colorum,
Fornicibus nubis subtexens approbat; annon
Aufert in se oculos spectantūm, & pascit amicè?
Hinc visu per telluris spatium apricæ
Membra, locis cunctis ubi se insinuare voluptas
Viva modis variis, vario discrimine certat.
Hic alia atque alia occurrit miranda locorum,
Et facies, habitusq³, hic se prosternit ad usus
Frugiferos latè in campos, & florida prata
Terra modesta, humilisq³; illic elata superbit
Montibus, ampullas variè vel collium amœnas
Projicit, hic rursus reflua se valle receptat.
Et clivis & marginibus diazomata gaudet
Construere, herbiferiq³ toros contexere Grumis;
Illic morosis cervicibus aspera rupes
Territat, & vasto cedentes limite nubes
Disregat, & furuos variè determinat artus.
Hic juga precipitis sibi prona crepidinis instant;
Illic se lato divergia plana recessu
Pandunt; hic vastis specubus variante & hiatu
Saxa stupent; salebra, atq³ horrentia resqua minatur.
Quis non miretur nemorum conferta columnis
Arboreis vario ingenio, variisq³ figuris
Atria? totq³ admirandis arbuta coronis,

Odaeisq₃, peristylisq₃, virentibus altos,
Et montes, & letos praecingentia colles?
Tot varios herbarum habitus, an ademata florum,
Fructuum & innumeras facies, variosq₃ colores?
Hac passim dubii rivorum pascua leta
Discursus trananti illac se largius amnes
Fluminaq₃, acta citis pelago impertire fluentis
Deproperant: hinc tot fontes radicibus imis,
Et summis speculis prorumpunt montium in auras.
Parte alia pigra stagna jacent, lentaq₃ paludes:
Aut maris absorbet lassatos equor ocellos,
Aut procumbentes mediis in fluctibus orbes
Secretos alios, aliosq₃ ostendit, & astris
Verticibus scopulos turritis formidandos.

Quid memorem terra speciosa metalla medullis
Eruta, tot gemmas, lapides, & marmora picta?

Iam disperge oculorum aciem bis mille animantum
Et ducentas per species, quas continet aer,
Et tellus, Pelagusq₃, & quae his adjecta, vacantis
Naturae lusum, reptantum exanguia monstra:
Cuiq₃ suus membrorum habitus, positura, figura,
Harmonia, & color, & vario discrimine motus.

An taceam ipsum Hominem, rerum sincera bonarum
In quo congeries mundi accumulata quiescit,
Subtiliq₃ magis depicta nitore refulget?
Membrorum seu Symmetriam, motusq₃ decoros,
Seu vultus varios mores, variosq₃ lepores,
Per populos, alia atque alia specie, atque figuram
Cernendos contempleris, seu denique secti
Corporis interius scruteris viscera, miro

Ordine composita, & miris intexta volucris,
Lumina turmatim stringit repetita voluptas.
Hæc eadem ex operum humanorum non minor instat
Conspectis miris formis, sive illa Myronis
Arte suas fuso concepere ere figuras:
Sive Ebore ingenio, & Pisæo pollice raso;
Marmore Praxitelis studio seu nata resecto;
Artis Apelleæ seu docto animata colore
Cunctarum in mundo præsent imitamina rerum.:
Minocratis seu que constructa legibus ades,
Arcesq; turesq; atq; atria fulta columnis:
Seu Nilotide acu, calamo seu picta stylôve
Sculpta placent, & que his vel millia plura supersunt
Artibus in variis, & lusibus admirandis.

Postremò que oculos incendit summa voluptas
Non reticenda, omnis pulchri exquisita medulla,
Letitiæq; omnis gaza, & nitidissimus hortus,
Fœmina, casta puellaris succincta pudoris
Purpureis radiis, & formâ atq; indole miti
Florida, quas lepidas jaculatur corpore toto
Delicias? que scitamenta instillat amoris
In penitas fibras, inq; intima pectora sponsi?
Queis sibi connectit nodis? quibus haurit amœnis,
Et castis animum illecebris, mentemq; mariti?
O non hic sensus tantum, non visus in illis,
Aut tactus saltem afficitur; majora subesse,
Occultoq; arcana magis surgentia fonte,
Altius & penetrare animum ratio incita clamat?
At de his quid memorẽ? haud equidẽ terrena subest vis,
Nec

Nec mortale sapit tantus vigor: enthea certè
Particula, & sapor æthereus de nectare primo
Letitiæ hîc gliscit, qualis sine fece fluebat
Integra per nitidi Paradisi florida tempe.
Illius an reliquos igitur de stemmate dulci
Adpersos flores, insertaq; germina quedam
Fœminici obtinuit sexus illustre rosetum,

Mirificis quæ alit & recolit fragrantia lymphis?
Quorum siderens per corporis extrema septa
Undiq; transpirat subtilibus halitus auris,
Arridetq; marem invitans ad gaudia nota;
Quæ gustata olim memori impressere saporis
Leta idola sui, desideriumq; perenne?

His ergo abripitur percussus mente, animoq;
Et penetrare, & abire in corpus corpore toto
Ardet, & huic pariter conjungi fœmina gestit
Ætherei aucupio contra inflammata vigoris,
Mas cujus majora auctoramenta recepit?

Sed quid ego hæc audax juvenili arcana calore
Attrecto, angustiq; incrusto nixibus oris?
O non fas lippi ingenii hæc comprehendere nictu.

Ergo hinc digressus me campis infero letis
Elysei nemoris, limatior usq; voluptas
Vernat ubi tranquilli ANIMI, inconsumtaq; perstat
Et magis, atq; magis fastidi ignara redundat
Augmentis iteranda suis, & gratior usu
Assiduo, nec tabescenti deflua fruge.

Hîc interna Quies validis radicibus heret,
Hîc placidos tuto pandit Concordia ramos

Compedibus vinctis affectibus imperiosa,
Compressisq; cupidinibus. Stat fronte serena
Aequa bonis, atq; aequa malis Constantia rebus,
Certa Deo parere, sibi & parentia habere
Cetera, quaecumq; inciderint humanitus extra.
Parte aliâ tutas praefert interrita Leges
Iustitia; ast illic Sapientia amoena renidet,
Colludensq; illi canto Prudentia vultu.
Hic & Sobrietas, & virtus dedit a egenis,
Atque Pudicitiam complexa Modestia matrem;
Ceteraque innumero virtutum consita turba
Flore placet, fructuq; juvat, fortiq; saginâ
Corde voluptatis sincere largius explet.
Hinc Animus culte virtutis conscius evum
Letus agit, votis quod contigit omne modestis
Respondere facit; Fati Mortisq; inopine
Securus: Verum ad victum satis hoc putat esse
Quod satis est: Pompâ nihil, omnia at aestimat usu.
Sortitus pariles seruo cum corpore partes
Decidit. Non hoc illi petulante rebellat
Dissidio luxus, aut seditione furoris;
Ille nec hoc nimium usuris emungit avaris,
Nec rigido nimis imperio sine fine fatigat.
Hinc fremitu absque omni promptissima pensio praesto
Illinc donativa, & missilia aqua remanant: (est,
Mutua communem sic indulgentia pacem
Fundat amore pari, circumnectitq; salutem
Pignoribus gratis, & amicat turbida membra.
Atque ideo vigor ingenii se strictior effert,

Strenuum

Strenuus & magis in veri pernicè calore
Venatus excurrit, in artibus, inq̄, Palestris
Civilis vite, prompto rotat impete nervos
Consiliorum, agiliq̄, reflexu lubricus exit
Elusos nodos, atque insidiosa latentis
Discurfu anticipat celeri tentamina casus.
At corpus validum patientia membra laboris
Suppeditat, non athereas abdomine fædo
Infuscat flammæ, aut motus præpedit acres.
Ergo aut natura occultos penetrare recessus
Rimariq̄, juvat vires, & semina rerum,
Quæ mundus, mundiq̄, tenent viventia membra;
Tum propius parvi morbos cognoscere mundi
Ex isto, ex istoq̄, medelam colligere horum
Lumine Naturæ rerum simulacra docente,
Congrua consensu, aut dissensu dissona quæ sint.
Nunc studium historicis animi fulcire ruinas
Exemplis, aut experiendo exsculpere mores
Per cultas gentes, urbesq̄, atque extera regna.
Hinc quæcumque aut ingenii vis extudit, aut quæ
Lectæ, auditæve sunt, aut visa, & vera probata
Eloquio liquido sociis expromere gaudet,
Aut scriptis mandare, stylo, sive illa pedestri
Lege soluta fluant arctâ, succincta canoris
Sive equitent numeris, & frenata agmina ducunt.
At non ægra famæ fama majora, facultas
Quàm possit sufferre, onera arripit, & neq̄, quæ sunt
Scripta, & nota recocta sapore reponit eodem,
Sisyphiam frustra saxum revolvibile torquens.

Quin illi satis est sua facta, & scripta probasse
Indicio recta Rationis, nilq₃ laborat.
In plausum, at pro parte sua commune juvare
Velle bonum, satagit, veri, justiq₃ Patronus
In cunctis suus, inq₃ alienis æquus in omnem
Censor, at Assensor tardus, ne Nomine magno
Ingenii jaceat servili Compede vinctus.
Quis ubi temperie factum satis esse modestâ
Colligit, abjunctas, in tempestriva remittit
Otia, curas horum operum, frontemq₃ serenat;
Atq₃ aut rura petit fidis comitatus amicis,
Rura ubi pura suo vero Natura videnda
In vultu nitet, & strepitus, omnisq₃ tumultus,
Torporisq₃ immunis ubi vel mussitat aër,
Colloquiisq₃, jocisq₃ favens, permulsus odore
Vivifico florum, lepidis vel consonat hymnis
Pictarum volucrum; aut leni per saxa susurro
Labentis rivi vexatus inire soporem,
Suadet sub densâ recubanti molliter umbrâ
Ilicis, aut fagi, aut aliâ quacumq₃ libebit.
Hic vel odorisequis canibus, vegetâq₃ Diana,
Montanos ambire juvat, virtute, triumphos,
Vel lautis amite insidias subtexere turdis,
Predari in vitreis vel fallaci amnibus hamo
Squamigerum genus incautum; quod rictibus esce
Mortiferae ut se avidis validè induit, inq₃ fugam ardet
Nequicquam, indicis occultis, linea ceca
Consentire monet calamum, nutuq₃ notando
Predam significare, citò que extracta sub auras

Iactu

Iactu se in viso tremulis in gramine versat,
Saltibus, & patrium frustra suspirat ad amnem,
Hinc modò Bacchæo redimitos nectare colles
Censet, & aut vetulas, agrasq; examine vites
Ferri exauctorat, juvenes, letasq; cooptat,
Subrogat inq; locum, atque in classes ordine ducit,
Floriferos, pinguesq; modò sese abdit in hortos,
Atque ibi conjugia herbarum, roseosq; hymeneos
Instituit, teneras fovet, atque aspergine gratâ
Educat, inq; tribus gentes dispertit adultas.
Quin etiam utilibus commixto semine furtis,
Fœcundis & adulteriis diversa coire
Indulget genera, & prolem prestare biformem.
Ut juvat hæc inter telluris sidera letos
Circumferre oculos, letoq; stupore morari:
Germina tot variis foliorum amicitia cadurcis,
Tot variis florum vittata coloribus, & tot
Æthereas variorum auras halantia odorum.
Hæc vix prima rudis cunabula planta relinquit,
Exfutâq; suâ se subdere fasciâ in auras
Audet inexpertas: illi vernante juventâ
Turgida odoriferos fundit lascivia flores:
Hæc matris fert officii matura gravatum,
Fœtibus innumeris uterum: emerita illa senili
Cernua humum carie demittit membra gravata:
Ast alia emoriens possessa heredibus arva
Commendat satis ut gavisa est gente nepotum,
Est ubi posthuma progenies virtute parentum,
Fœcundâ, interitus, & cælo illata sinistro

Damna replet, florum signis decorata paternis:
Sanguineo huic lepidè scintillat flamma nitore,
Fulgurat illa auri bullis, hanc purpura reddit
Conspiciam, illa pudore Amerhysti blanda renidet,
Collustrat stellis alias argenteis albis
Splendori sunt quas caelo Hyacinthi gratia adequat:
Atque alia innumeris modulis pigmenta serena:
In qua animo atque oculis figi delectat hianti,
Authorisq³ Dei hæc præconia muta notare,
Virtutum & mutos monitus, & lucida morum,
Exempla, & lepidis simulacra expressa figuris.
Hic etiam arboreas disponit gnauiter umbras,
Atque in spem fructus fœcundas promouet arte;
Hic & letus apum studia indefessa per agros,
Inq³ penu redolente videns miratur, & almis
Diuitiis lautè fruitur: per pascua cernit
Tendere leta greges; in siluis leta vagari
Armenta, & se lasciuo vocitare boatu
Gramineis mentes epulis permulsa petulcas.

At verò cùm rure domum redit, obuia conjunx
Fœnore casta nouo circumflua deliciarum,
Obsequio, alloquiisq³, jociisq³, hilariq³ lepore:
Hic patris irreptant humeris, adq³ oscula nati
Certatim adfluitant, truncis hic verba volutat
Imperfecta sonis, sed adultior ille vigoris,
Et lingua, atque animo leta argumenta paterni
Fundit, & in titulos, & laudes crescit easdem.
Quin & nonnunquam convivia sobria curat,
Vel que etiam in tantum repetant Baccheia pocla,

Sensibus, absq₃ hujus censurâ, alacriq₃ vigore,
Illorum absq₃ ministeriis sic manca fatiscit
Hujus item: arctè adeò per mutua vincula juncti.
Per sensus animus Natura in lumine summum,
Discit nosce Deum, ex mundi fulgente teatro.
Per sensus imitari notum assuescit eundem,
Ad sua & alterius factis, verbisq₃ juvanda
Commoda: vel quacumq₃ aliâ ratione licebit
Privatum, & commune bonum latè amplificandum,
Ex imis summum; ex conspectis noscere tentat,
Inconspèctum: totum ex partibus, exq₃ caducis,
Finitisq₃ æternum, infinitumq₃ gradatim
Averso ordine consurgens, varieg₃ recurrens,
Sed non excurrrens ultra pomœria mundi.

At quantò est MENTIS natura excelsior illo,
Quantò nobilior, quantò perfectior omnem
Hujus summè exquisiteq₃ beata voluptas,
Quam parit Authoris divina scientia summi,
Letitiam exuperat? mundanaq₃ gaudia cuncta
Summa petens post longa à se intervalla relinquit!
Hec summi Authoris prelustri imago Iehovæ,
Portio Luminis, & spiraculum, atque aura perennis
Vite, quo descendit, eò connititur, & se
Primevæ Lucis conjungere origini anhelat,
Inq₃ ejus plenam perfectò fonte beatam
Letitiam, & summè sincerum haurire nitorem;
Ex illo rerum prelustri in lumine summam
Totam uno intuitu, simul atque in partibus omnem,
Et que animo non nota eterne arcana salutis
Perpicere.

Perficere, & liquido assensu cognoscere gaudet:
Exq; ejus speculo, directo opera ordine mundi
Pura recensere, & puro obsignare reflexu.
Hic vultu sanctæ Triados fulgente potiri,
Hic sine fine Boni satiari nectare summi,
Hic Recti, Veriq; corusco fulgure pasci,
Et summa Harmonia divino perfici honore.
Illa eterna Homini cœlesti rore voluptas
Exundans, illa ambrosia æternæ alma salutis:
Cujus in hoc mundo meritis, & morte Renati
Nos Patrio rursus CHRISTI innectentis amori
Divini æthereâ illustrati flaminis aurâ
Libamenta fide haurimus, spe plena perenni
Post hanc concipimus vitam conviviam fructu.

Atque voluptati satis hæc: Pars altera cure
Turbida dirorum superat farrago DOLORUM
Percensenda, quibus stabuletur quisq; timendis
Attegiis, quæ larvis horreat, & quibus iris
Seviat in sensus, animi, mentisq; quietem.
Mens animi exhorret, tremor intima concutit ossa,
Ora gelat pavor, arrigitur coma vertice retro,
Ingenii intuitus dum se demittere tentat,
Tartareum in chaos hoc horrentis nocte barathri,
Cordisfrago & reboans gemitu, immaniq; ululatu.
Quis mihi verba dabit, quibus hic conferta Mephitis
Dire discutiam jugulantia nubila nares?
Quâ ingenii scindam elidentes luce tenebras
Lumina? quâ vi animi perrumpam incendia fractas
Excuneantia, contra & deculcantia vires

Frigora,

Frigora, & innumeris que animum inconsumta flagel-
Cura deartuat, atq; nova in tormenta refingit. (lis
Sed lucis diæ radiis confide coruscis,
Quæq; viam illustri signabit limite transi
Lux animi indubia, & celeri revoluta recurſu
Sordibus à spurcis fœde intemerata cloace.

At verò Dolor est præceps dissensus ab uno
Dissiliens incompositis plures in hiatus
Saltibus, impetibusq; & confusis Labyrinthis,
Quo mens, atq; animus, sensusq; aut quilibet horum,
Aut conjunctim omnes, rabiosis, immodicisq;
Antè, & retrò percepto furis laniantur,
Disturbantur, & anguntur, varièq; fatiscunt.
Nam concentum orbis que prima favilla dolorum
Corripuit, nonne illa fuit, dum Lucifer olim,
Purum opus, & purâ mens fulgida luce creata
Suprà sese alias Mentis statione relicta
Tollere, & æterni solium affectare Iehovæ
Præsumsit; nimium, heu nimium, infelicibus ansis?
Scilicet à Domini conspectu abjectus ab arce
Athereâ in stygiam tenebrarum horrentium abyssum.
Hinc qui splendidior Sole, illustriq; Pyropo
Lucebat Veri radiis fulgentibus olim;
Nunc horret Falsi nigrior carbone tenebris,
Luridus, & mendacii in atris noctibus errat.
Olim lata Boni que pars bene cuiq; volebat
Non minùs atq; sibi, similes sibi nunc studet omnes
Reddere, dira mali illuvies, Turbare, Nocere,
Perdere, cui solum studium est, illa unica cura.

Ergo

Ergo atris malus insidiis, rabidoq³ furore
Grassatur per mundi elementa, hominū inq³ salutem.
Rictibus assiduoq³ inhiantibus omnia captat.
Que bona, queq³ fluunt iusto ordine, queq³ creatas
Res alias hilarant, illi nocumenta, flagella:
Illi tormentum Solis iubar, atraq³ nox est:
Sub quo terretur, tremit, atque odio angitur atro,
Tristitia inq³ sua centrum compressus acerbum
Ringitur, invidia assiduoq³ obtunditur ictu.
Leta videns cupiensq³, frui tamen haud potis illis.
Ceui qui ex carcere supplicii addictus amaris
Prospicit exoriente alios sub Sole, choreas
Ducere, qui sibimet venit exitialis, & ater,
Ceditur immani collapsio in corde dolore.
Istius insidiosis decepta artibus Eva,
Huius Adam illicius inductus, postera tantis
Arumnis involverunt mortalia secla.
Nimirum illi etiam supra se extollere metas
Prefixas ausi fastu majoris honoris,
Majorisq³ scientia, in horrida, & ima relapsi
Antra, potestatemq³ elementorum, atque dolorum,
Et Satana, & furiarum animi, mentisq³ sinistra:
Lumine pro aethereo, pro aeterni flore vigoris,
Nox, & supplicii dominatur cincta feris mors.
Hinc fuga conspectus, vultusq³ faventis egestas
Aeterni Patris, in qua summus verminat angor,
Et dolor aeterno morsu referitur adauctus.
Illam autem fastu dissensio facta furenti
A Trino-uno authore inducit, quo nihil usquam

Altiùs, & supra quem nil dominatur, & extat;
Qui sui ad exemplar quoque res quascunq; creavit
Finibus inclusas certâ in statione locavit,
Quos ultra, citraq; sue substantie honore
Pleno contentam vetuit perrumpere quamvis,
Aut aliis dominari, aut diro insurgere fastu,
Si cui cara salus sua, si cui cara aliorum;
Servitio at parili sibi se submittere cunctas
Iussit, & inter se parili recalescere amore.
Iam verò postquam luxata est machina mundi
Primorum hoc fastu nimium infelice parentum,
Lege, & Rege opus, & Medico est; ne tota ruinis
Subsidat, bona sed pars altera fulta supersit.
Vsque adeò dominandi, excellendiq; cupido
Fermentiscit, & in fluctus exestuat atros:
Factio dissidiis passim hinc hirsuta protervis
Bacchatur, ruit hinc Confusio fœda procellis,
Turbida terrificisq; doloriferisq; ruinis.
Hinc straba lux Mentis quàm cœlestis per apricos
Doctrinæ campos miserè delirat, & errat,
Spiritus illam opifex fidei nisi lumine sacro
Dirigat illustratam in recto tramite veri!
Ingenii varum in natura rebus acumen
Claudicat, enerviç vagum ratione vacillat:
Senta situ scelerum stant pectora, diruta sevis
Dissidiis horrent, diro lacerata tumultu
Collatrant affectuum acerbè in tela ruentum,
Mutua, supplicisq; suis sese usque secantùm.
Hic dira Impietas odiis aversa sinistris

*A Rerum Genitore, in seq̄ retorta suis se
Strangulat arbitris: Hic foeda libido pudendis
Mersa volutabris se macerat, & sua dira
Ulcerâ continuò refricat mordentis adesa
Illuviei atris stimulis: Hic typhus hiatu
Vasto eructatus furit ambitionis inanis,
Distenditq̄, animum ampullis immanibus intus,
Prorutus extra, in summa atque infinita vaporat;
Discerptusq̄, vel in tennes evanidus Euros
Disperit: adjutus vel si popularibus auris,
In sublime rotata abrupta volumina sistit,
Et casus timida, & fortunæ incerta per horas,
Pendula quæ mox præcipitet vertigo deorsum,
Et lapsu graviore in primos mergat hiatus,
Abreptorum & regnorum, veriç, ruinis
Obruat, inç, suos illidat adacta tumultus.
Quid luxum in dapibus, potuq̄, & vestis abusum
Commemorem? vani suus anthrax cuiç, furoris
Sevit, & excoquitur fervente putredinis æstu,
Quid sicas diræ Invidiæ, quibus ipsa fodit se? (atras
Quid furibundam, Æthnam irarum? quid furta, quid
Harpyias, lites, fraudes, periuria, cedes?
Quo te deniq̄, Avarities, quo carmine dicam?
Te Scyllam rapidã, te nunquam explebilẽ Avernum,
Quæ data sunt in subsidium commune bonorum?
Verborum quo atrore tuos signabo cerastas
Crudeles, vigilesq̄, in diros nocte, dieq̄,
Morsus, angoresq̄, venenatosq̄, dolores?
Seva fames majore fame insatiata subinde*

C

Irritatur.

Irritatur, & in gluvie renovata frequenti
Crudefeit, fervetq; magis, jejunaq; casti
Perforat infinito animi spelea farore.

Hi pluresq; carens numero seivissima turba
Dum sic conficiunt, tortores, pectora, sensus
Nulla potest etiam sua delectare voluptas.
Lux exosa nigra est, facies pulcherrima mundi
Terrori est, Cithara solatia leta jocose
Aversas feriunt aures, rosa, balsama, nardus,
Naribus infesta occurrunt, multâ arte culina
Fercula culta, soporiferoq; excomta decore
Sub sicco dentes inter revoluta palato
In fastidia turgescunt, lectissima vina
Adducunt frontem in rugas, & labra retundunt:
Bruma nequit sedare aestum, sudoribus agrum
Urget qui assiduus animum, non Sirius ardor
Discutere attonitas circum algida corda pruinas;
Non unguenta juvant, non balnea, sedula conjunx
Castis blanditiis, & amoris melle sereni
Nil potis est quicquam tantos lenire dolores;
Oscula spernuntur sobolis, spernuntur amici
Alloquia his rabidis animum conantia curis
Eripere, inq; spei letos abducere campos.
Heret enim indivulsa alto sub corde Megera
Affiduum incutiens vigilante tyrannide flagrum;
Quae licet interdum respiret, fixa timore
Pectora, & assiduâ tamen anxietate perusta
Preveniunt, duplicantq;, suae fera tormina poena.
Hinc prima ad cæci trepidatur murmura cœli,
Fulguri

Fulguribusq; excussa cadit mens, seq; petitam
Indicat attonita; hæc transit si innoxia vindex,
Proxima tempestas cura graviore timetur.
Suspectus color, & calor omnis corporis, omnes
Suspecti vultus hominum, suspectaq; verba.
Cum nox somniferis terram complectitur umbris,
Irriguusq; hominum, volucrum, pecudum, atq; ferarū
Corda sopor reficit defessa labore diurno,
Seva dies animi profligato undiq; somno
Sulphureis facibus, diro & fulgore coruscis
Circumfulminat, & facies scelerum incutit atras.
Quod si surrepsit somnus brevis in trepida alto
Membra diu versata toro, simulacra timendis
Dira modis cerebrum quatiunt, & pectora rumpunt,
Supplicia inq; eadem excutiunt sudantia membra.
Talia sunt Mentis preludia dira dolorum,
Quos infandos æternis post ultima fata
Ignibus excoquit & consummat & asperat Orcus.

Iam verò si interna quies tranquilla suarum
Virtutum studiis animo sua constet, at extra
Turbari quoque sæpe solet, dum vita suorum
Degeneri maculosa notâ queat esse pudori,
Et tristes casus, & fors adversa dolori.
Nam sibi quos propius communio sanguinis unit,
Conjugii aut nexus, tum fida & amica voluntas
Esse sui similes virtute, & sorte secundâ
Optat, & adversam fortunam, & crimina luget
Hoc ardentius illorum, gaudetq; secundis
Rebus, & ingenuis studiis magis, indole prestat.

Quò magis ethereâ, & cognatâ authoris amori.

Deniq₃ quæ sensus classis postrema dolorum,
Sanciat, enormi, & confuso ex ordine surgit:
Aut dum trinum-unum consensum rumpere fastus
Principia inter se discordia concitat intus:
Aut extra vis præstat idem violenter adacta;
Sive Elementorum invidiâ, & pugnacibus iris,
Sive acri inflictu teli, casuve sinistro.
Sic desueta oculos lux densa, inopinaq₃ scindit,
Illos & tenebræ offendunt, & spurca colorum,
Colluvies, & conturbatis monstra figuris,
Horrida dissidia, illepida & divortia rerum,
Et claudi, & distorti habitus, torviq₃ recessus.
Sic fragor horrifonus subriles obterit aures,
Nec non rugitus, importuniq₃ boatus,
Murmuraq₃, & clamores, clangoresq₃, soniq₃
Immodici, aut confuso turbine concursantes:
Illas, & stridor vehemens, & sibilus acer
Lancinat, & quicumq₃ informis vocis abortus.
Haud aliter strigibus fœtorum aviaria nasci
Diris incantantur, & exagitantur iniquè:
Sicut non minùs & linguam probrosa saporum
Innumeris, variisq₃ modis injuria cedit,
Pungit, vellicat, infringit, contorquet, adurit.
Sic Tactum quoq₃ pro morborum mille latentium,
Atq₃ loci obsessi ingenii, condensa dolorum
Sevitia affligit, compungit, perforat, angit,
D. vellit, tendit, pulsat, gravat, opprimit, urget,
Mordicat, obtundit, constringit membra stupore,

Vlceribus

Ulceribus peredit, dirâ prurigine rodit.

En proprio ex vultu per se censenda dolorum,
Et distincta voluptatum adversa agmina cernis?
Hæc bona per se sunt, mala sunt per se illa: satisne
Vtraq; sunt numerosa? Satisne valentibus equè
Viribus obsistunt sibi met? Discrimina certè
Tam manifesta probant Rationi, ut quæ fugienda,
Quæq; sequenda animo sint, elucescat aperte.
Et tamen hîc (deplorandum) quas cæca tenebras
Terreni ad nutum famula & parasita dolosa
Corporis obtuse prævelat opinio menti?
Illa voluptates quæ sunt, facit esse dolores,
Illa dolorifici persuadet seua furoris
Tormenta esse voluptates, & tristia læta.
Illa eternorum non conscia, corporis ægri
Omnia deliciis metitur, & omnia mundi
Finibus includit, nihil occulto æstimat usu,
Et nihil eterno quod Menti sine salubre est.
Quippe voluptates veras dehonestat, & atris
Indutas larvis, personatq; decore
Fucatas (pudor heu mundi melioris honoris)
Prostituit, minuit, deflorat, & ejicit orbe.
Contrâ fulgentes pompâ fallace dolores,
Et phaleris, & bracteolis, fictoq; cornuscos
Lucis honore nocte inducit, coacervat, adauget,
Admissosq; animo gravioribus instruit iris.
Numinis hinc vulgò sibi mendax poscit honores
Fortuna, ambiguo & dominari creditur orbi,
Et cæco vaga læta & tristia spargere jactu.

Quin etiam astrorum famulantiæ lumina rectrix
Sub pedibus premere, & diversa in fata ciere
Terrigenum. Hinc vita modulum sortisq; future
Scenam quemq; sua noscendi sacra libido (cruis
Anxiè habet: levis ut dolor aut digitum, aut caput, aut
Impetit, excutitur Genesis numerosa tabella,
Consultitur trepidè vilis de fœnore mercis
Indutâve nova de veste, emtôve Falerno.
Sed nihilo minùs hinc, dubia suffragia mentis
Ludibrio alternum metus, & fiducia versat;
Hec vesana hominis censura injuria ceca,
Qua se adeò abjectâ Ratione deestimat ipse;
Ut se substernat servâ virtute regendum,
Illis, quèis longè sublimior, & quibus equâ
Mente potest, alter, dominari Rex datus, orbi.
Hec furor in rerum Authorem, & cœli alma benigni
Sidera, an hæc atq; ille favent non omnibus equè?
Aut ille imperium dextræ omnipotentis in orbem
Omne astris commisit, & hæc mortalia nullus
Ultra jam regit aut curat? Num scilicet ipsum
Tàm vilis tædet curæ, tædetq; laboris?
Stulte quid incusas innoxia sidera, non his
Vis in te ulla data est: Tu qualia feceris, illa
Talia erunt, prompta est præstare faventia virtus,
Et promptum illa eadem scelus irritare sinistra.
Talem te præsta mentis bonitate vigentis
Erga Hominesq; Deumq;, illa in te qualia velles;
Sic corrector eris cœli, sic victor, & author.
Non angusta, humilisq; meum assensum illa tenebis

Barbara

Barbara opinio, Naturam quæ truncat, & alma
Virtute evacuat: sterili quæ ignava stupore,
Cælo & Telluri viduis divortia ponit;

Strenua delumbat, ditissima pauperat astra:

Quod saltem luces, noctesq; & quatuor anni
Tempora distinguant, Maturent germina saltem,
Atque calore elementa coquant, & frigore figant,
Et vel nescio quo bullato obscura decore

Exornent, & commendent laquearia cæli.

Hem tam magnifici tam munera curta paratus;

Nec me etiam illorum cyræba ambitiosa sophorum

Accipiet, vario arbitrio, imperioq; severo

Cæli subjiciunt qui hominem, quasi non modò corpus
Cælum hominis formet, sed menti etiam imprimat ipsi
Vel scelerum, vel virtutum prout fluxit amorem.

Magna equidem, latèq; patet diffusa potestas

Cæli, quod rebus vires vitamq; creatis

Suppeditat cunctis, & inaugurat omnia lætis

Principiis oriunda suis: sed terminus illi

Præfixus suus est, quem non se porrigit ultra.

Ille autem est Homo, qui parvus per se sibi totus

Consistit mundus, tum diâ Præsede Mente

Supracælesti, æterna, cunctisq; creatis

Nobiliore, nihil cui vel præscribere cælum,

Vel mandare queat, regitur, cunctosq; furores,

Horrendasq; minas, vel mundi avertere magni,

Vel placare potest virtute, vel arte potenti

Corrigere, aut subterfugere, aut perfringere victor.

At quoniam ex magni mundi omnibus artibus alter

Hic parvus mundus, soboles producta, caducam,
Mundanamq; quod ad partem, colludit imago,
Consimiliq; modo responsus utring; recurrit.
Et sic astrorum patrius consensus amico
Affectus (argumentum Iovæ illustre benigni)
Mentem premonet in speculo, effigieq; notatum,
Ostendens quale hospitium, quibus hostis iniquæ
Materia infestum insidiis, dubiumve ruinis
Obtineat: si conveniens, conservet, & ornet,
Si adversum, domet, & rectâ ratione gubernet.
Ad quod utring; juvant etiam bona sidera, firmant
Que bene cepta, malum produunt, & cōmoda monstrant
Auxilia in rebus simulacra docentia mira.

Non illa inducunt pestes, cladésve sinistras,
Non inconsueto tot atrocita monstra furore
Parturiunt. Scelera illa hominum, scelera effera fœdia
Incestant stupris, scelera illa immania ad iram
Offensa inflammant, justas invita laceffunt
Ad pœnas. Sic invidiâ, irâ, odioq; dolisq;
Mansueta astra (suis quamvis etiam ipsa venenis
Tristi illo lapsu occultè infecta esse fatendum est;
Que tamen haud in perniciem, tristesq; dolores
Egerere humani generis sua prava libido
Sponte suâ illa agitât, sed sic constrieta refrenant
Ne quoquam excurrant nisi quò irritata citentur)
Obturbata fremunt, & consternata liquescunt,
Sulphuream revomunt bilens, salsosq; refundunt
Sudores, lachrymasq;, & rabificos languores.
Hinc Pestis dira matris contagio mores

Grassatur

Grassatur referens, livore voracis avaro
Corpora quæq; gula absorbet contacta, furitq;
Immensum, insatiata, immuni strage triumphans.
Sic & Ibera lues, quam infanda Libido scelestis
Tisiphones furiis lymphata effudit in auras,
Impegitq; astris, quæ consternata nefastum,
Excussere chaos, patriæ telluris in oras.
Sustulit ipsa parens, famulisq; in partibus offas
Cerberæas primo indulget depascere, totum,
Nec mora præda feris data dentibus exossatur
Corpus, & ex imis evertitur usque medullis;
Nec perit integrato informe furore cadaver.
Sic non in vitam generis quæ impensa voluptas
Ingratam extendit vitam assiduo atra dolore.
Ergo desipere est sortem culpæ sinistram,
Atque avidis votis petere & laudare secundam,
Cum sortis sit quisq; suæ faber, & sibi possit
Iudicio prudenti, notitiâq; sagaci,
Solertiq; labore, optatam condere vitam,
Quam scelus, & socordia, stultitiæq; procella
Destruit. Hæc si absint, & vita nulla probata
Culpa queat quicquam adversi meruisse videri,
(Quamquam ô quis nevos non obtinet expurgandos)
Et premeris curis, casu & diffunderis acri,
Non tamen hæc adversa tibi fortuna vocetur,
Conditio est optanda, ad quam te Fata vocarunt
Dextra, faventia desponsâ mercede futura
Letitiæ aternæ: tu summi strenuus inter
Selecta, & fortissima Principis agmina miles

Vexillum sequere : adversis victoria rebus
Certa bonis venit, & certissima gaudia surgunt.
Est fidei fornax, est cos Afflictio rectis
Dilectisq; Deo. Te stricta involvit egestas,
Compressam permulce, & letam redde ferendo:
Nescis, ô nescis quibus hæc te casibus atris,
Et quantis curis subduxerit, arce locatum,
Sublimi, in quam nil castra infestissima possunt
Rerum externarum, atque angorum turbidum inane,
Ne invidias, quos vastus opum in sublime levavit
Oceanus, tumido & premit accubitu undiq; inanes
Roboris interni, atque in vota sinistra volutat.
Quæis animum adversâ spe non minùs ampla, & ege-
Extrahit in vanum vanis elusa cupido. (na
Quàm tristes facient versuras, quando negata,
Et præcepta tibi mundi communia dona
Pauperie eternâ, eternoq; dolore piabunt?
Tu confide tuis internis letus, & altus
Divitiis, mentis tranquilla tristia fulgor
Cuncta externa suo diffuso lumine placet,
Dissipet, occæcet, telisq; exarmet iniquis.
Longè à terrenis resili, & mortalia ride
Gaudia, quæ vultu promittunt plura, recessus
Quàm vacuus præstare queat, quæ turbida fundunt
Limpida quæ sperata externo expensa nitore.
Fallitur, & fallit, si se ferat ille beatum,
Quem Sarrano Ostro gemmisq; auroq; coruscum
Portat equus, censu, quia rarior, emptus equestri:
Quem distractum inter patinarum examina mille
Destituit,

Destituit, quàm admissa, prius, delusa frequenti,
Diversaq; fames epularum sorte, remotis
Ex patriis convectarum, varioq; culinae
Fucatarum defraudante sophismate fauces:
Tantaleâ qui obtusa siti fastidia poclis
Integrat, irritatq; meri variante cavillo
Multiplicis; cui pulchra latus sua claudit amica,
Et trepidi latus languorem infundit amoris,
Atque siti cordis sitientis inebriat œstrum:
Qui magnam partem sepelit lodice diei,
Partem aleâ lacerans, gravibus convivia socors
Divitiis facit, aut carpento advectus eburno
Spectator legione canum comitatus atroci
Sylvis terribilis venit, atque in strage ferarum,
Non metuendarum crudelia lumina pascit.
Pectoris ab vani ludibria vana: Voluptas
Nature quacumq; modum transcendit, acerbum,
Horrendumq; sui in tormentum proficit ex se.
Sola in amore Dei, & virtutis certa voluptas,
Et quæ his temperie conformia gaudia mundi,
Recta, & amica placent, gratosq; petuntur ad usus.

Emersi: tibi magne Pater votiva tabella
Pectoris in summis adytis suspenditur imi:
Te mihi prælucens facem atrâ noctis in umbra
Errorum Syrtes, & veri naufraga saxa
Vitavi, evasiq; optati in littoris oras.
Tu da interna voluptatis mihi gaudia vera,
Serva animi pacem, & vires, & vana ferocis

Letus

*Latus, & erectus conculcem gaudia mundi,
Præteritis ut terrenis cœlestia quæram,
Pærspiciam, obtineam, non obluçtante caduco
Corpore, non orbis nimium obturbante tumultu;
Qui modò summam omni minitatur parte ruinam;
Sed quod præterito sæclo clementer es orsus,
Isthoc perficies, & claudes sine secundo.*



Quia vacabant aliquot Pagel-
læ, subjecta sunt

EPIGRAMMATA QVAEDAM,
IN HONOREM ET LAUDEM NO-
bilibium & celebrium quorundam
virorum scripta;

Authore eodem.

T Y C H O B R A H E.

COelibis indignans cœlum tot sæcla stuporis
Insedisse sui infamiam in ingenis,
Quantum posset adhuc summo molimine tentat.
Expertum, in flammam quàm ruat antè, dare:
Omnibus ex Geniis Genium unum suscitatur, orbi
Quo imperii constet vindice summa sui;
Et quo lucentium neglectior ordo Quiritium
Præfecto renovatos eat ad numeros.

Hic

*Hic autem Tycho si Brahe nobile ab Arcto
Exortum sidus non fuerit, quis erit?
Salve magne poli, & telluris pronube, salve
Inclyte caelestis ordinis alter Atlas:
Tanti operis da posse sui spectaculo Olympum,
Quod propter senium huc sustulit usq; frui.*

I O A C H I M U S B E U S T.

M Agne Geni, magnos Romae florentis alumnos,
Sulpitios, Celsos parce stupere tuos.
Hortensiq; sile & Tulli miracula linguae,
Vnus cunctorum Beustius instar erat.

M A T T H A E U S V V E S E N B E C I U S.

V Rbs VVesenbeci qua cunas possidet? orbis
Cor, decus & coeli Antuerpia delictum:
Orbis in urbe licet fueris Antuerpia, alumno
Tanto non poteris non minor esse tuo.

I O H A N N E S F O R S T E R U S.

S I quis erit vera praestans pietate canendus,
Quali corda patrum fulta fuisse liquet;
Si quis erit Solima lingua facundus, ut illum
Hebraeus natum juret in urbe sua,
Si quis erit certa fidei, defensor honesti,
Hic si Forsterus non erit, haud alius.

S A L O M O N A L B E R T U S.

D Vm parat exitium morbis Albertus, acumen.
Ingenii, atque artis robora Apollo stupet:
Dextera

*Dextera morborum sic nobilitata trophæis,
Nunc, ut non vincat, arte nova ut sit opus:
Ergo invidisset, modò si potuisset, at optat.
Hunc, speculum in terris Numinis esse sui.*

THOMAS FRANCIVS.

E Loqui seu pandat opes florentis amœnas
Francius, exultant, Suada, Venus, Charites,
Seu de Iustitia, Iove digna, oracula promat,
Litibus applaudit, viq₃ soluta Themis:
Ante alia humani nitidum ver pectoris illi
Conciliatq₃ homines, conciliatq₃ Deum.

MICHAEL RICHARDVS.

I Nterpres Divûm Richardi cultius ore
Cumq₃ Iovis poterat cuncta stupore loqui:
Ergo illum terris invidit Iupiter, ut sit
Tedia Mercurii qui relevare queat.

ERASMVS REINHOLDVS.

T Errestres animæ curis terrestribus arent,
Cœlestis raptat me super astra vigor.
Illic stellarum choreas, monitusq₃, viasq₃
Distinctis numeris, & ratione noto.
Humano ingenio studium quod dignius isto est:
Mens cœli harmoniis flectitur harmonica.
Altior at quantò paucisq₃ adamata magis res,
Vilior hoc tanto vilibus est animis.

Et a

discipuli con

Et n

pax uobis

Et

octo / rannu

Et

pax uobis

Multa qu

Et